

dum processerint mente pacifica , inter ipsos quoque gladios non suam , sed NB. pacis gloriam cogitantes.

Unam te monere debeo , amice Lector ! quod tædii ac confusionis vitanda causâ subnexuri simus , Cap. V. Diplomata Pontificia , aliaque & adeo Alphabeticis literis ac numeris distincta per contextum te remissuri , ut quid statuendum sit maximè quoad substantialia controversiæ , de qua agitur , commodius discernere possis . Cætera ut pleniorum fidem inveniant suis locis , authenticis testimoniis , muniemus .

## C A P U T I .

*Ostenditur ex legitimis documentis : Quid circa emptionem , ac venditionem Parthenonis Achatiani actum est , ejusdemque possessionem contigerit ?*

I. **C**ontentiones quædam ortæ fuerant inter Moniales ad S. Achatium ; quas dum ex commissione Reverendissimi Domini Vicarii Generalis (ut praxis obtinet in Monasteriis Ordinario subjectis) deputati Commissarii Reverendissimi Domini Gropper , Metropolitani tanæ ædis Canonicus , & respectivè Scholasticus ad S. Geronem ; item Conradus Wippermann , Decanus ad S. Severinum , & Præpositus Susatensis ten-tatis

tatis variis mediis consopire non possent; suadent Monialibus, ut ab invicem secedentes ad alia commigrent Monasteria, suo PP. S. J. quibus ante menses paucos ædes Monasterio S. Achatii contiguæ obvenerant, divendito. Placuit consilium monialibus ex eo præterea capite, quod ære alieno premerentur: & re utrimque deliberatâ concipitur libellus supplex ad Ordinarium, & Sedem Apostolicam: petiturque vendendi Monasterii licentia, his tamen sub conditionibus: 1. Ut unicuique Moniali suam liceat auferre secum suppellectilem, ac peculium. 2. Reditus Monasterii dividantur ita: Ut quinque velatis partes duæ, tertia verò reliqua quatuor, tot enim erant, non velatis cederent. 3. Eodem venditi Monasterii pretium divideretur modo. 4. Omnia approbarentur, ac confirmarentur ab Ordinario & Sede Apostolica. 5. Professione nova in aliis Monasteriis, in quæ emigraturæ essent, non gravarentur.

Cùm libellus hic omnium omnino Monialium manu subscriptus adjecta informatione à RR. DD. Commissariis ad Ordinarium ac Sedem Apostolicam devenisset: Gregorius XIII. Pontifex Maximus assensit, & petitam licentiam impetratus est 30 Martii, Anno Christi M D LXXXII. Pontificatus sui

II.  
Pontifex  
dat faculta-  
tem, consti-  
tuit Com-  
missarios,  
& contra-  
ctum ini-  
tum habet  
ratum.

anno

anno 10. V. Bull. *Exponi siquidem*, c. 5.  
 lit. A. Obtento diplomate hoc, & simul  
 binis aliis brevibus, in quibus cum RR.  
 DD. Groppero ac Wippermanno daba-  
 tur immediata, quia Commissariis Apo-  
 stolicis in negotio hoc assistendi, illud-  
 que exequendi facultas: tum hi ipsis Do-  
 mini animabantur a Pontifice, ut transla-  
 tionem Monasterii S. Achat. ad PP. Soc.  
 apud Senatum Coloniensem & quoscun-  
 que alios nomine Pontificio viribus om-  
 nibus tuerentur (V.C. 5. Lit.B. & C.) Di-  
 eti Domini ad contractum ineundum  
 cum Monialibus processere, & conven-  
 tione de pretio bis mille Imperialium  
 facta retulerunt denuo ad Apostolicam  
 Sedem eousque rem deductam esse: eo-  
 demque anno responsi loco expeditam  
 sub plumbo acceperunt Bullam contra-  
 etum initum ratihabentem.

**III.** Quoniam autem Archi-Episcopo Co-  
 loniensi suis amoribus tum implicito,  
 narium non nondum tamen haeretico tunc, nec  
 præterierit, & simul  
 aliis execu- Apostatae, (V. infra C. 4.) omnibus  
 tionem de- tamen benè sentientibus suspecto, soli,  
 mandarit?  
 Et cur tan- ratione executionis non fidebat supre-  
 dem Ordinarius pro- minus Pastor; præterite eum in dignitate  
 executione ac jurisdictione Archi-Episcopali adhuc  
 Bullæ eos- constitutum sine nota non poterat; ei  
 dem, qui à & Archi-Episcopo, simul Trevirensi,  
 Pontifice & Amerinensti Episcopo vices suas sub  
 constituti fuerant, sub- hac clausula demandavit: Ut vel simul,  
 delegarit? vel seorsim quivis ex illis plenam haberet

po-

potestatem cùm suprà laudatis RR. DD. Commissariis Pontificiam Bullam exequendi (V. Cap. 5. litt. C.) Porro licet frigidè primùm rem tractaret Archi-Episcopus quia tamen & ipse aliàs Pontifici per RR. DD. Commissarios suggesserat optimum fore & Monialibus & Patribus, si his justo pretio illarum Monasterium cederet, nec se jam, aut suspectum redderet iteratis Sanctissimi literis monitus, aut timeret sibi minùs consultum ac honorificum fore, si Trevirensis & Amerinensis vel simul, aut alter è duobus, aut etiam ipsi immediati duo Commissarii Pontificii, Gropperus ac Wippermannus, secundùm acceptam facultatem Ordinario neglecto ad executionem procederent: 7 Septembris, 1582. Bullæ Pontificiæ obsecutus, pro ejusdem executione etiam suo nomine facienda subdelegavit sèpè nominatos Commissarios; qui quà Commissarii Pontificii jam ante contractum totum, ut ex suprà dictis liquet, confecerant, eodemque die misit illis diploma, quod V. C. 5. L. D.

Tandem ut finis toti negotio impo-  
neretur, & Contractus Moniales inter  
& PP. S. J. inita executio in forma ju-  
ris omni meliore modo promoveretur,  
15 Septembris vocati sunt Patres S. J.  
accepturi possessionem. Aderant ibidem  
RR. DD. Gropperus & Wippermann,  
IV. Quomodo  
& quando à  
PP. Societ.  
capta pos-  
sessio Mona-  
sterii Achati-  
tiani, Mo-  
nialesque id  
deseruerint,  
quà & PP. intrâ-  
rint?

quà Commissarii in hac causa ex parte Pontificis , & Archi- Episcopi Colon. Item RR. DD. Sigilliferi major & minor , dein publicus Notarius cum testibus. Accedunt Moniales velatae , & non velatae omnes: proponitur illis publicè coram Notario cum testibus præsente tenor Bullæ Pontificiæ ; repetitur contractus jam antè initus , requiritur de nuò earum consensus. Cumque omnes stipulata manu assensæ essent , jurique omni in favorem PP. S. J. traditis clavibus renuntiassent , à RR. Commissariis per Templum & Monasterium introducti Patres , & ità adepti possessionem numerârunt in præsentia omnium paulò antè memoratorum bis mille Imperiales: de quibus conventum fuerat. Dein cum Monieles divisa inter se ad normam præscriptam (V. hic n. 1.) suppellectile literisque censum , & accepto , quòd cuique ex summa bis mille Imperialium numerata competebat , extulissent omnia , 17 Septembbris omnes manè egressæ sunt , & Patres Soc. acceptis à Magistra clavibus intrârunt sine contradictione ulla , manseruntque domus ac templi sine ulla turbatione possessores ac incolæ jam ab annis centum quinquaginta.

v.

Brevis de- scriptio loci Achatiani Monasterii. Per transennam hic notari potest , quòd domus ac templum S. Achatii per vetustum ac ruinosum fuerit , & plùs spatii

spatii non occuparit ac modò medietas Gymnasi Tricoronati , sive pars areæ & alæ à Columna B. Virginis immaculatè conceptæ anno 1730. reposita Septentrioñem versus occupat , unde qui somniat : Gymnasium totum injusto etiamnum litulo à PP. Soc. possideri. Achatianis vi ac fraudibus ereptum , immanè quantum hallucinatur. Pontifex in Bullis suis vocat Monasterium cum Templo Possessiunculam , historici temporis Monasteriolum.

Dixi paulò antè : Intrâsse Patres sine contradictione ulla , & mansisse sine ulla turbatione jam à tanto tempore possessores ; ut nullum tamen cavillationi locum relinquam , fateor in primis tremoram negotio voluisse injicere RR. PP. Dominicanos : sed ut citrà nau- seam Lectoris omnia demus loco con- gruenti , accipiet is instructionem de hoc plenissimam Cap. 3. §. 4. in Resp. ad Depositionem 8. Deinde fateor insuper ab aliquibus ex Amplissimo Senatu Coloniensi obmotas fuisse , alio ex capite difficultates , scilicet : Hæreticorum vi- cinorum , vel hæresi faventium insti- tu nullibi in urbe sedem fixam sub initium obrinere potuit Societas , à li- beralitate RR. PP. Venerabilis Carthu- siæ Colonensis potissimum sustentata: nec ferendum esse putabatur , ut sine consensu Amplissimi Magistratûs Mo-

V I.

Qua ra-  
tione oppo-  
sitio ex par-  
te Magistra-  
tus sopita  
in favorem  
ac laudem  
Societatis  
cesserit ?

na-

nasterium aliquod occuparetur à novis hospitibus. Sed postquam non tantum binas Gregorius XIII. Pontifex, & alias ejusdem rogatu Augustissimus Romanorum Imperator Rudolphus in favorem Societatis ad Senatum dederat: sed etiam Serenissimus ac Reverendissimus Ernestus, Bavariae Dux, Episcopus, ac Princeps Leodiensis ea tempestate Coloniæ præsens nomine Cæsar is 20 Septembris, anno 1582. per submissum D. Doctorem Fabritius Amplissimo Magistratui, & postmodum in propria persona DD. Consulibus intentionem Cæsar is, ejusque promotionem commendâset; idemque duo Consiliarii Serenissimi Ducis Juliacensis ex commissione & nomine suæ Serenitatis fecissent; & Reverendissimus demum Gropperus Sedis Apostolicæ hac in causa Commissarius insigni oratione, integra facilè hora, in favorem ac laudem Societatis differens totius rei ac facti seriem, suæque commissionis Apostolicæ rationem coram Senatu exposuisset: post hæc, inquam, omnia res in Senatu agitata, aliam faciem induit; & cum primis DD. Consules magnas Reverendissimo Domino Gropero egere gratias pro tam bona informatione totius causæ. Dein 5. Octob. factum Senatus decretum de nullo Patribus Societatis ponendo obstaculo; quominus quieti

re-

remanere possint Monasterii Achatiani  
incolæ, & in templo ejusdem publica  
Societatis ministeria peragere. Decre-  
tum hoc post meridiem eodem die duo  
Senatores nobis retulerunt cum adito:  
opportunum fore, ut, cùm in Domi-  
nicam proximam, videlicet 7 Octobris,  
inciderit Dedicatio Templi S. Achatii;  
illo die aperiretur pro publicis & solem-  
nibus functionibus templum: quod &  
factum cum tanto hominum affluxu: ut,  
cùm Consul tunc temporis primarius  
strenuus Dominus à Maes præ homi-  
num multitudine templum ingredi non  
posset, is in ejus limine consistens, ca-  
suque videns P. Rectorem ad ædes con-  
tiguas stantem, ad eum ultrò gratula-  
bundus accesserit, ac porrecta manu  
animi sui benevolentiam omnibus ho-  
minibus in conferta platea inspectanti-  
bus testatam esse voluerit. Porrò Missa  
in signi concentu musico decantata, si-  
militer Vesperæ post prandium, quas  
hora 4. consecuta est concio germanica.  
Interfuerunt autem Officio Missæ, &  
postmodum prandio in Monasterii tri-  
clinio Reverendissimus D. Gropperus,  
Commissarius Apostolicus, Reveren-  
dissimus D. Swölgen, Decanus ad S.  
Andream, & Canonicus Metropolita-  
nus., quasi primus fundator, cùm ab  
eo priores ædes consecuti essemus.  
RR. item Major & Minor Sigittifer:

B

dein

dein Consiliarius unus Archi-Episcopi Colon. Doctor Birckmannus, præter alios. Qui omnes, & quidem priores, potissimum duo insigni oratione tam græca quam latina carminéque excepti & consalutati sunt.

En totam rei seriem, initium, progressum & exitum per authentica documenta quoad puncta NB. substantialia probatum, prout videre est ex Bullis, Mandatis ac Diplomatibus Pontificiis, ac Ordinarii suo loco citatis, & cap. 5.

VII.  
Allocutio etis, ad quæ per contextum ad confusione-  
ad Promul-  
gatorem  
Depositio-  
num.

Lector hoc capite remissus est. Rei totius, pro ut gesta est, seriem ac ordinem desumpsi ex literis nostrorum, tunc temporis ad P. Generalem Societatis Romam missis, & ex Collegii Archivio ac historia, quam de anno in annum, ubique terrarum Societas in Domiciliis omnibus accuratè prosequitur. Ne vel minima inquies mihi oritur, aut orietur exinde, mi bone Promulgator Anonyme nuperi Schediasmatis! si historiæ nostræ domesticæ purè tantum ad clariorem rerum gestarum notitiam intertextæ fidem deneges: nam substantialia puncta, ex quibus confici debet, quod Monasterium S. Achatii justo titulo possideat Societas, habes ex Bullis citatis. Deinde modò accingo me

ad

ad subvertenda misera fundamenta tua,  
scilicet depositiones extraordinarias &  
duarum laicarum Monialium , & no-  
tabilis adjecti F. Gisberti, Prioris,  
quibus niteris. Quæ omnia nec typo  
dari , multò minùs cum tantò plausu  
ac triumpho spargi in religiosi Ordinis  
vilipendium debuisse tu forsitan ipse  
meliùs , ac olim , informatus , vel sal-  
tem quilibet veritatis & non falsitatis  
amator liquidò videbit : sicut etiam ,  
quòd eò magis historiæ nostræ do-  
mesticæ fidendum sit : quòd clariùs fal-  
sitatum variarum & enormium Sche-  
diasma tuum impressum convincetur.  
Rumina interim tu cum quovis ami-  
co lectorе illud Hieron. epist. 18. ad  
Augusti. Si amicus , qui me primus gla-  
dio petiit , stylo repulsus est , sit humani-  
tatis & justitiae accusantem reprehен-  
dere , non responden-  
tem.